



1. Alberti / Valent. / diff. de
munificientia Divina in
N. T. Lipsie, 1663.
2. Arcularij / Dan. / diff. differenti
theses Theologice de Quaestio
nibus aliquot controversis,
Marburgi, 1695.
3. Hunnius / Agid / proposi
tiones Theologice de eter
na Predestinatione Filio
rum Dei ad Salutem,
Frankfurti, 1594.



99 A 6909

4. Arentsche f. Henr. diff. de summo
bono, Helmstadt 1600.
5. ————— diff. de Principijs
Virtutum moralium, Helmstadt
1600.
6. ————— diff. de Sensibus
exterioribus, Helmstadt
1600.
7. ————— diff. de Anima ratio-
nali, Helmstadt 1600.
8. Baumgarthen f. Sigism. jac. f.
diff. de Mysteriorum Christianae
Fidei vera Iudole, 1754.
9. Calamini f. Petri f. diff. de
Sacramentis, Wittemberg 1591
10. Carpor f. jac. f. ^{pecuniam testrum} de Applicatione
Methodi Scientificæ ad
Theologiam revelatam, iend
1753.
11. Specimen Quartum
de Applicatione Scientificæ
Methodi ad Theologiam re-
velatam, iend, 1753.

- 12 Cyprian s. Om. Salam. / diff. de
fabrica Crucis Christi, Helm.
13 Rad. Libet / 1699 de Ecclesia Substantia 1699
14 Frick s. ioh. / Britannia ^{Holmstadii} pectus
de Lutheranis edita, Ulme
1709.
- 15 friderici / valent. / diff. de Malis
recte perfecit, Lipsie,
1671.
- 16 Feslen s. ioh. jac. / diff. de Pessi.
Bili Cameli transitu per
foramen Acor, Wittenbergae
1670.
- 17 Gualtperij / olt. / commonefactio
de Articulo Electionis, Lubeca
1596.
- 18 Glauck s. Andri. / diff. de Ad.
ventu Messiae, Lipsie, 1688.
- 19 Henckel s. Georg / diff. de usu
Librorum Apocryphorum v. t.
in N. Testamento, Hala, 1711.
- 20 Kahl s. Gottl. / de Christo ex e.
gata, Lipsie, 1733.
- 21 Keyselitz s. Gottl. / nimium justitiae
et improbitatis Salomonis,
Lipsie, 1721.

- 22 Mayeri, ioh. frid. diff. utrum
studiorus theologiae Studium deferere
et juris prudentia aut medicina se
confessare possit. 1711.
- 23 — de admirabili Jacobi
cum duabus Sororibus Conjugio
Wittenbergae 1717.
- 24 Michaelis, i. Th. Bened. diff.
de poenis capitalibus in S.
Scriptura commemoratis, Halle
- 25 ¹⁷³⁰ Michaelis, ioh. Henr. diff. de
Libro Cohelet h, Halle, 1716.
- 26 Olearii, Gottfr. Ursus doctrinae
de temperamentis Apostolorum,
Lippsia, 1714.
- 27 Pauli, i. Herm. Reinh. Specimen
Typicum de Typo Timothei
a Timotheis ad virum exprimendo,
Halle, 1720.
- 28 Ram Bach, ioh. iac. de
parallelo Scripture, jude
1722.

- 29 Rappolt f. Fried. f. diff. de
 Adoratione Carnis Christi,
 Lipsie, 1668.
- 30 Rechenberg f. Ad. f. diff. de
 Conscientia recta, Lipsie
 1670.
- 31 diff. de formula
 veteris Ecclesie excitatoria
 sursum Corda, Lipsie 1704.
- 32 Scherzer f. ioh. Ad. f. de
 conceptione maculata an
 immaculata B. Virginis Ma
 rie Dei parte, Lipsie
 1671.
- 33 diff. de Communi
 catione Elevationem, Lipsie
 1671.
- 34 a Scelen f. ioh. Hom f. diff
 de Magdalén jacob. La
 boribus Bibliis Lubec 1728
- 35 Reinhardt f. Aug. Will f. diff
 de Scopulii quibusdam extitissen
 thymis cum AKPIBIA colligeren
 tis Londres 1741.
- 36 Schitter f. Zsch. f. diff. de Divinis
 Hominis novissimis morte et
 Resurrectione, Lipsie, 1597.

COMMENTATIONIS 10
DE ADPLICATIONE METHODI SCIENTIFICÆ
A D
THEOLOGIAM REVELATAM
SPECIMEN TERTIVM
DIVVLGATVM
M. IACOBO CARPOVIO

ILL. GYMNASII VINAR. DIRECTORE MATHEM. P. P.
REGIÆ BORVSS. ACADEMIÆ SCIENTIARVM ET LITTERARVM ELEGANTIORVM MEMBRO.



I E N Æ,
SVMPTIBVS IOH. ADAMI MELCHIORIS VIDVÆ.

1753. *c*



LECTORI DEVENERANDO S. P. I.

Sententia
Pufendorffii
de applica-
tione metho-
di mathe-
maticæ ad
Theologiam.



pere Huetiano, quod Demonstratio Euangelica salutatur, perspecto, cum olim Sam. Pufendorff in Epistola ad fratrem Iesaiam, Demonstrationi Euangelica posthæc præfixa, Huetium ad Theologiam Christianam in formam iuslæ artis, per continuas demonstrationes digesta, adornandam, ut nempe præmissis necessariis definitionibus, ac, si opus sit, postulatis, tum indubitis axiomatibus, capita Christianæ religionis, ad salutem necessaria, sufficientia, et velut adæquata, ad modum propositionum mathematicarum demonstrarentur, aut inuitaret, aut excitaret, maxima emolumenta ille ex tali labore et sibi et orbi Christiano pollicebatur. Accipe enim, Lector, illius verba, quæ hæc sunt: *Quin eiusmodi opus magnam utilitatem orbi Christiano, salem per cultiorem Europe partem, afferre queat, vix cuiquam dubium esse possit. Non quod putem, id felicitatis assueturum orbem Christianum, ut abolitis dissidiis, omnes in eundem sensum circa sacra conspirent, nisi per singularem rerum revolutionem animi ad saniora admittenda præparentur; sed ut, veritate ad talen modum digesta, et in medio posita, qui recte sentiunt, etiam hoc adminicculo consermentur; cæteri eo usque virgeri queant;*

ant, ut si amplius contra tendant, vel morbo mentis laborare, vel vitiolum ob affectum aut respectum veritati impudenter reniti censeantur. Quibus utilitatibus perpensis, idem addit, de utilitate eiusmodi operis fortasse paucis cordatis dubium futurum esse.

II.

In nostra igitur tempora si hic Vir reseruatus fuisset, quid tibi iudicaturus videatur, Lector, de sententia et instituto Dn. Clugii, Theologiae Doctoris Wittebergensis, sententia atque voto illius e diametro repugnant? Hic enim non contentus eo, quod fieri posse, negauerit, ut Theologia Reuelata methodo scientifica vel mathematica proponatur (Spec. I. §. 19. seqq. II. §. 11. seqq.), eo usque progreditur, ut methodum mathematicam, ea, qua fieri potest, ratione in systemate Theologiae Reuelatae adhibitam, non solum eam solidiorem et compactiorem non reddere, sed etiam infirmare magis atque obscureare, perhibeat (Singul. P. II. §. 15. p. 115.). Quae praeposteris sententia licet paruum veritati detrimentum adferat, tamen cum mihi potissimum opponatur, mihi iam nouum argumentum de commodis vel incommodis methodi scientificæ, ad Theogiam Reuelatam adplicatæ, disputandi suppeditat. In quo arguento vero iam mihi propositum non est, omnes utilitates, ex applicatione methodi scientificæ ad Theogiam manantes, demonstrare aut enarrare, quippe quod feci alibi (Th. Reu. T. II. præf. §. 12. seqq. et huius Comment. Spec. I. §. 15. 16.); sed de eo præcipue, quod in contentionem adductum est, disputare, constitutum animo deliberatum-que habeo.

Sententia
Dn. Clugii
contraria.

Auctoris in-
stitutum.

III.

Vt alibi iam dixi (Spec. I. §. 17.), doctrinæ Theologicæ, si Probatio non omnes, certe plurimæ duplice modo confirmari queunt; quorum immediata est alter, vt propositioni theologicæ addatur locus scripturæ, in quo et mediata illa vel *κατὰ τὸ ἐπίθετον* legatur, vel ex quo unico syllogismo derivari propositio-queat; alter, vt ex principiis cognoscendi evidentibus (Spec. I. §. 9.) nis Theolo-nexu syllogismorum legitimo propositio theologica derivetur. Prior-gicæ quid? rem voco probationem immediatam, posteriorem mediatam. Nam licet utrumque ex scriptura sit, est tamen prior, principiis demonstrandi non intercedentibus; sed posterior, iis intercedentibus. Non dico autem, in omnibus propositionibus theologicis duplex hoc probationis genus locum habere, sed in plerisque. Accidit enim interdum, vt in the-

seos theologicae sola probatione immediata adquiescendum sit; id quod maxime in iis locum habet, quæ principiorum primorum nomine veniunt. Sed fieri etiam potest, ut thesis theologica ex principiis theologicis sequatur, licet *κατὰ τὸ ὄντες* in scriptura non exstet, nec ex uno quoquam loco inferri queat; quod si fiat, locum habet sola probatio mediata. De cetero probationem *demonstratio*nis titulo decorandam esse, si ex principiis cognoscendi indubia legitime conclusio deriuetur, supra est obseruatum (Spec. I. §. 4.).

IV.

*Probatio*nis
immediata
commodum
et incommo-
dum,

Immediata propositionum theologicarum probatio semper nititur syllogismo hoc:

Quidquid sacra scriptura *κατὰ τὸ ὄντες*, vel per immediatam consequentiam dicit, illud verum est.

Atqui hanc, illam doctrinam cet. E.

Quo probandi modo dum nil breuius, nil facilius esse potest, immediatam propositionum theologicarum probationem breuitate atque facilitate se commendare, fatendum est. Huius igitur ratione habita, recte dixit Dissentiens Singul. P. II. §. 13. p. 113: *Missò mathematicorum adparatu (ad methodum mathematicam pertinente), brevitor est et facilior ad veritatem perueniendi via, si sententiam, sufficienter antea declaratam, sine omni anfractu vel circuitione, in sacris litteris contineri, ostendas.* Fateor hinc etiam, probationes thesium theologicarum immediatas ob breuitatem ac facilitatem suam captui simpliciorum potissimum accommodatas esse. Et quia sermones sacros, coram habendos in ecclesia, præcipue ad simpliciorum captum, quippe quorum numerus est maximus, accommodare, fas est, probationes thesium theologicarum immediatas præcipue pro conacione ecclesiae adhibendas esse, sequitur. E contrario vti nihil ex omni parte perfectum esse sollet, ita probationibus thesium theologicarum immediatis hoc incommodum adharet, quod earum ope nexus doctrinarum theologicarum non perspiciat. Nimirum si singulæ theses theologicæ e suis confirmentur effatis biblicis, generatim quidem intelligitur, nullam earum alteri repugnare eo, quod vera reuelatio diuina sibi inuicem repugnantia trahere atque proponere nequit; at vero quæ sit cuiuslibet theses theologicæ ratio specialis, cur ita se, nec aliter habeat? et quomodo

hinc

hinc porro ex alijs doctrinis theologicis fluant aliæ? quis igitur nexus totius systematis? hoc ex probationibus theologicarum thesium immediatis non adparet. Nam per easdem vna veritas theologica ex altera non deriuatur (§. 3.).

V.

Dispar ratio est probationis mediatae theses theologicæ. In *nec non mediatæ.*
hac enim dom propostio theologica probatur ex præmissis principiis theologicis per nexus syllogismorum legitimum (§. 3.); vbi autem e principiis suis deriuatur conclusio, ibi non potest non distincte perspicere nexus, inter doctrinas intercedens: sit inde, ut in probationibus mediatis thesium theologicum distincte intelligatur nexus, qui inter propositiones theologicas intercedit. Vel ut aliter dicam, probatio theses theologicæ immediata docet tantum *rō ēti*, i. e. thesin theologicam sic se habere; sed demonstratio mediata simul docet *rō dīti*, i. e. cur thesis theologica sic, nec potius alio modo se habeat. Nam ipsa principia theologica, ex quibus thesis deriuatur, rationem theses manifestant faciunt. Quia autem principia theses theologicæ plerumque ex aliis, et hæc iterum ex aliis, donec ad prima deueniatur, deriuanda sunt, prolixior non potest non esse demonstratio mediata, quam immediata; et quod hinc per se constat, difficultior; qua difficultas vero commodo maiori, quod in distincta cognitione nexus veritatum theologicarum situm est, pensatur.

VI.

Si quæras autem: *mediatae, an immediata thesium theologicarum probatio firmior sit?* neutram alteri firmitatis palmam præcipere, si utraque recte se habeat, dicendum est. Fateor enim equidem, quidquid ex effato scriptura aut per se, aut per consequentiam immediatam probatur, id, posita sacra scriptura diuina origine, quæ ponit debet (Theol. Reu. Tom. I. §. 112.), certo verum esse. At simili ratione quidquid ex veris principiis theologicis, adiunctis licet, vbi opus est, principiis rationis rectæ, nexus syllogismorum legitimo deriuatur, illud æque certo verum esse, fatendum est; siquidem vbi materiae pariter ac formæ vitium abest, non potest non conclusio vera ac certa esse. Cum igitur prius probationis genus immediatum, posterius mediatum sit (§. 3.), neutrum alteri firmitatis gradu cedere, in aperto est. Haud difficulter igitur Lector de his iudicabit Dn. Clugii ver-

bis l.c. §. 15. p. 115: Firmissima sententiam theologicam probandi ratio est, si, eam, ostendas, vel iisdem, vel idem significantibus, verbis in Scriptura sacra contineri. Proximum tener locum illa probandi ratio, qua propositio theologica e dictis Scriptura, adhibita legitima concludendi ratione, deriuatur. Nam ubi firmitas est æqualis, ibi neutra alteram superare recte dicitur.

VII.

*Probationes
mediatae o-
pendunt a-
nalogiam fi-
dei,*

Nexus veritatum theologicarum dicitur *analogia fidei*. Cum igitur per probationes veritatum theologicarum mediatas intelligatur nexus earum, per immediatas non item (§. 4. 5.), probationes veritatum theologicarum mediatae manifestam faciunt analogiam fidei, quæ ex aduerso ex immediatis non perspicitur.

VIII.

*et studium
Theologi-
cum ampli-
ficant;*

*unde illis
undendum.*

Quandocunque dogmata theologica probationibus mediatis confirmantur, manifesta sit fidei analogia (§. 7.). At vero, methodo scientifica vel mathematica ad theologiam reuelatam applicata, confirmantur dogmata theologica probationibus mediatis (§. 3. et Spec. I. §. 5.). Ergo si methodo scientifica vel mathematica theologia reuelata traditur, fidei analogia manifesta sit; vti docui Theol. Reu. T. II. præf. §. 14. Cum igitur euidentia rerum in theologia, et per hanc fidei analogia cognita faciat ad augmentum cognitionis intensuum (Th. Reu. T. II. præf. §. 8. et T. I. §. 336. Sch. 2.), hoc spectato, omnino bac docendi ratione, vt quo posteriori loco traduntur, ex antecedentibus demonstrentur (id quod methodi scientificæ atque probationum mediatarum proprium est Spec. I. §. 5.), studium theologicum amplificatur; tametsi fecus est sententia Clugiana l.c. p. 117. Quare cum fidei analogia studendum sit, vt totius religionis christianæ compages distinet intelligatur, tantum abest, vt probationes dogmatum theologicorum mediatis et methodi scientificæ ad Theologiam Reuelatam applicacionem susque deque habere, fas sit, vt in utrisque potius operam et studium collocare deceat. Ipsa veritatis vi compulsus Dn. Clugius, etiamsi methodum mathematicam ad theologiam applicari posse, antea negauit, alium tamen calculum heic adiecit, scribens l.c. §. 15. p. 115: Secundum banc methodum (scientificam, qua scilicet illustr. Wolffius in philosophia usus est), quantum ego iudico, sententia, posteriori loco posita, ex antecedentibus sententiis lucem pariter ac robur obti-

obtinere debet. Eiusmodi nexus sine dubio innititur in summarerum theologicarum consensione, quam analogiam fidei vocamus. Hanc probandi res theologicas rationem Theologi nostri non modo non respuunt, sed etiam magnopere commendant. Et deinde: satis recte, in confirmanda propositione theologica, ad eam, quam cum integro corpore et reliquis articulis habet, conuenientiam prouocatur.

IX.

Quid igitur, inquis, dato consensu in causæ capite, male habet Virum bonum? Probationes dogmatum theologicorum immediatas priori, sed mediatas posteriori loco poni, iubet. Ita enim ille l. c. §. 15. p. 115: Adhibent (Theologi rationem, res theologicas probandi ex analogia fidei) loco postremo, suppeditata ante omnia ex dictis Scripturæ sacra confirmatione. Nec alio loco satis tuto adhiberi potest. Quæ est autem precepti ratio? Firmissima, inquit, sententiam theologicam probandi ratio est, si, eam, ostendas, vel iisdem, vel idem significantibus, verbis in Scriptura sacra contineri. Proximum tenet locum illa probandi ratio, qua propositio theologica e dictis Scriptura, adhibita legitima concludendi ratione, deriuatur. Ita error trudit errorem. Ostendi enim, probationes dogmatum theologicorum mediatis, modo rite se habeant, firmitate non cedere immediatis (§. 6.). Quare utram priori, an posteriori loco ponas, non potest non perinde esse. Ex quo fit porro, vt, quemadmodum alii Theologi probationibus immediatis priorem locum dederunt, sic mihi in systemate meo, pro instituti ratione, mediatas ponere loco priori licuerit.

X.

In omni demonstratione, in qua a principiis ad conclusiones An a proba- progressus sit, hoc est, synthetica, sic se res habet, vt si vel falsum tioribus me- principium catenæ propositionum innectatur, vel formæ concludendi diaxis theo- vitium committatur, non tantum falsa prodeat conclusio, sed error um theologi- etiam per omnes serpat conclusiones, ex prima falsa conclusione deri- carum absti- uatas. Videatur ill. Wolffii Log. Lat. §. 628. Quid igitur mirum nendum est, in nexus veritatum theologicarum, quem demonstratio ostendit proper pe- mediata, eodem modo se rem habere? Aut quo iure, secus se rem ha- riculum er- bere, postulabis, cum natura demonstrationis syntheticæ non ferat ali- randi? ter? Ast ita docendi ratione, vt quæ posteriori loco traduntur, ex antecedentibus demonstrantur, studium theologicum, nisi caute ad modum procedas, facile depravari potest. Ita obiicit Dn. Clugius

l. c.

I.c. §. 15. p. 117. Sed quid, caute te procedere, vetat? Omnis cautio in hoc posita est, vt nullum implices veritatum theologicarum nexui principium, quod non evidenter verum sit, vtque legitimum semper, quem Logica docet, teneas concludendi modum. Ad quæ duo recte seruanda si ineptum te sentias, a labore theologiam propoundingi ita, vt nexus continuo sequentes veritates ex præcedentibus deriuerentur, tibi abstinentiam est. Quodsi vero per mediatas dogmatum theologicorum probationes studium theologicum, nisi caute admodum procedas, facile depravari potest, ob eamque causam ab illis abstinere satius est, vt vult Dn. Clugius, eodem modo, ab immediatis etiam dogmatum theologicorum probationibus abstinentiam esse, edisteram. Nam per probationes immediatas etiam, nisi caute admodum procedas, facile depravari potest studium theologicum. Quam facile enim fieri potest, vt, posthabitum regulis interpretandi rectis, sensum dicti scripturarum arripias falsum? vt ex dicto scripturae consequentiam immediatam deriuas falso? Quodsi igitur a probationibus dogmatum theologicorum mediatis abstinentiam est propter erroris periculum, vt vult Dn. Clugius; sed propter eandem rationem etiam abstinentiam est ab immediatis, quod iam ostendi: dogmata theologica omnino sine probationibus relinquenda sunt; quo quam bene consulatur religione christiana, tam est manifestum, vt disputatione res non indigeat.

XI.

*An thesis
theologica
præter pro-
bationem
mediatam
requirat
ad bac a-
liam?*

In disciplina omni ita se res habet, vt propositio, ex evidentiis cognoscendi principiis nexus syllogismorum legitimo deriuata, vera, et pro vera habenda sit, licet nulla accedit probatio alia vel a posteriori, vel a priori. Perlunga disciplinas mathematicas et philosophicas, et exempla eiusmodi plura, quam ad confirmationem opus est, habebis. Neque potest aliter se res habere. Ex evidenter veris enim principiis per modum concludendi legitimum non, nisi verum, sequi potest, quia nulla adest ratio erroris. Quare si in theologia revelata per demonstrationem mediata ex principiis theologicis evidenter veris nexus syllogismorum legitimo conclusio theologica deriuata est, eadem non potest non vera esse, siue illa κατὰ τὸ πνεῦμα in scriptura sacra exstet, siue minus. *Απαιδεύτικη* igitur est, cum Dn. Clugius scribit I.c. p. 117: *Id certe per se manifestum est, propositionem theologicam, hoc modo demonstratam (scilicet ut quæ posteriori loco traduntur, ex ante-*

tecedentibus demonstrantur; demonstrantur, inquam, h.e. ita deriventur, vt tam principia evidenter vera, quam modus concludendi refutus atque legitimus sit, quippe quod vtrumque demonstratio postulat), alia, eaque solidiori opus habere confirmatione. Quando vero ibidem pergit: tantum abest, vt theologia, hoc modo tractata, nescio quod, obtineat vel robur, vel munimentum, sciat, Theologiam, hoc modo tractatam, hoc robur vel munimentum obtainere, quod compages corporis humani perneruos. Per hos enim yeluti cohærent membra corporis, soluta alias et non cohærentia: ita per methodum scientificam, ad theologiam reuelatam applicatam, sit, vt doctrinæ connexæ et cohærentes systema constituant. Quare veluti ex compage totius corporis connexa gradus maior minorue necessitatis cuiuslibet membra in corpore humano adpareret: ita momentum cuiuslibet doctrinæ theologicae intelligi potest, si omnes unum systema connexum constituant. Ne dicam, in veritate mentem confirmari, si, quod rō p̄nt̄v scripturæ docet, idem nexui totius systematis religionis reuelatæ consentaneum esse, intellegat; necraro accidere, vt sensus effati scripturæ litteralis, per se ambiguus, per id determinetur, quod nexus veritatum reuelatarum fert.

XII.

Tametsi Dn. Clugius, methodum scientificam, ad Theologiam *An auctor reuelatam applicatam, non solum eam solidiorem et compactiorem non veritates reddere, sed etiam infirmare magis et obscurare, quod sibi demonstrandum proposuerat (§. 2.), ne unico quidem argumento rite confirmare potuit, vti ex hac tenus disputatis adpareret: ad nouum tamen is fidei demonstrandum faciendum, vt dixisse quidquam videatur, se accin- ex analogia straverit?*

git; licet quod adfert, non sit, nisi repetitio futile. Dicit enim l. c. p. 117: *Quanquam Im. Carpouius Theologiam suam ne ita quidem compositus, vt ex analogia fidei semper et ubique sententiam propositam demonstraret. Vbi primo obiter moneo, vi veritatis compulsum, Dn. Clugium non posse non fateri inuitum, in multis Theologiam Reuelatam sic a me compositam esse, vt ex analogia fidei sententias propositas demonstrauerim. Sed cur negat, in omnibus sententias propositas me ex analogia fidei demonstrasse? Audi, Lector, argumentum. Ita enim, inquit l. c. (scilicet si ex analogia fidei sententia proposita demonstretur), propositio theologica ex altera eiusdem generis demonstranda foret. Ille autem (sc. Carpouius) sententias diuersi generis inter se permisceret, ita ut definitio mox grammatica, mox rhetorica, mox metaphysica, mox pneumatica, mox the-*

ologica, occurrat, immo diuisiones etiam spuriæ et omni destituta fundamento, qualis est diuisio eternitatis in aternitatem fixam et successiuam, interferantur. Vbi obiter moneo, diuisiones spuriæ fruile mihi exprobrati, quia divisionem æternitatis fixæ et successiæ abunde defendi alibi (Inan. Singul. Clug. S. 104. et El. Theol. Nat. S. 27. Sch.), aliud autem exemplum, quo exprobationem probet Disputator, habet nullum. Quod autem ad rem præsentem attinet, ita Disputator concludit:

Quicunque in systemate theologico adhibet definitionem mox grammaticam, mox rhetorica, mox metaphysicam, mox pneumaticam, mox theologicam, ille theologiam suam non ita componit, vt ex analogia fidei semper et vbiique sententiam propositam demonstraret.

Nam qui ex analogia fidei propositiones theologicas demonstraturus est, ille ex propositionibus eiusdem generis demonstrare debet.

Sed Carpouius cet. E.

In quo vero argumento nego maiorem, vt veritatē non consentaneam. Quamvis enim in dogmatibus theologicis, ex analogia fidei demonstrandis, ex propositionibus theologicis demonstratio duci debeat, non tamen inde sequitur, omne principium rationis rectæ, vbi necessitas perfectæ concludendi formæ vsum illius postulat, ex eiusmodi demonstratione proscribendum esse, aut, adhibito principio rationis rectæ, conclusionem non amplius esse ex analogia fidei. Nam ipse Dn. Clugius, et recte quidem, scribit l. c. pag. 114, *propositiones, naturaliter notas, locum habere in argumentatione theologica, vbi quandoque altera præmissarum, quas vocant, e principiis rationis peti soleat; et iterum l. c. p. 148: in argumentatione theologica principia rationis locum habere, libens concedo.* Ac post pauca, narrato prius consensu Musei, pègit p. 149: *Rem exemplo illustrabo. Sit propositio theologica demonstranda, quod Pater et filius in diuinis realiter differant, vbi quidem recte ita argumentor: Quorum unus est gignens et alter genitus, illi differunt realiter. Atqui Pater et filius in diuinis sunt gignens et genitus. Ergo Pater et filius in Diuinis differunt realiter. Maior propositio nititur principio rationis.* Huc etiam pertinet, cum scripsit l. c. p. 142.143: *non negamus, sicut Theologia, tanquam reginæ disciplinarum, reliqua omnia inseruire debent, ita etiam principia*

DE ADPLICATIONE METHODI SCIENTIFICÆ AD THEOL. 59

et pia communia tam formalia, ad veritatem connexionum cognoscendam, quam materialia, ad argumentorum, e Scriptura petitorum, declarationem, et ad veritatum theologiarum, e Scriptura demonstratarum, ab obiectionibus vindicationem, in theologicis adhiberi posse; quibus iterum verba Musæi consentientia subtexta sunt. Cum igitur in demonstratione dogmatis theologici, ex analogia fidei ducenda, principia rationis rectæ simul adhiberi possint, tanquam premisæ, si opus fuerit: eodem modo præter definitiones theologicas simul adhiberi poterunt definitiones grammaticæ, rhetoricae, metaphysicæ, pneumaticæ, et quæ sunt alia, si distinctæ cognitionis amplificatio et nexus demonstrationis postulet. Nam definitiones has ad principia rationis rectæ pertinere, in aperto est. Ita e. g. sacram scripturam esse perspicuum, esse sufficientem, esse integratæ præditam, pertinet ad veritates theologicas, et nihilominus in his propositionibus, ex analogia fidei demonstrandis, definitiones scripti perspicui, sufficientis, et integri, que in se philosophica sunt, adhiberi debent (Th. Reu. T. I. S. 253. seqq.); quibus licet adhibitis, non tamen sequitur, adfectiones dictæ sacrae scripturae ex analogia fidei demonstratas non esse, si ex fine sacrae scripturae deriventur. Fallitur igitur ex ipsis concessis Dn. Clugii maior propositio syllogismi contra me; qua negata, quod inde infertur, hoc ædificio ruenti simile est. Itaque habeat sibi Dn. Clugius obtræctionem, Theologo indignam, cum scribit l. c. 117: *Credideris, veritates seu propositiones theologicas, in hoc (meo) opere, legitime inter se connelli, sicut quoque in Systemate Theologie reuelata fieri oportebat, quippe quod compaginem veritatum theologiarum notat.* Sed haec veritates, interpositis subinde notionibus definitionibusque peregrinis, iisque spuriis saepè, inter se colligantur. Hinc non nisi singularis veritatum theologiarum existere potest nexus, quo scilicet ille tanquam calx sine arena, vel tanquam scopæ dissolute, coherent. Et hoc illud est, quod in hac quidem sententia demonstrandum erat. Scopas enim dissolutas, aut calcem sine arena si videre cupiat, in argumenta sua aduersus me, tanquam in speculum, intueatur; quorum, tantum abest, ut nullus legitimus nexus sit, ut meritis παραλογίαις et contradictionibus auctoris aut πανωνίοις, aut malignam voluntatem prodant. Fateor etiam, Dn. Clugio pro instituti ratione demonstrandum fuisse, quod aduersus me blaterat; sed infirmatis fratreisque argumentis omnibus, demonstratum id non esse, ipsa notio demonstrationis docet. Quod enim est demonstratum, id euerti amplius nequit. Quibus omnibus

Si se habentibus, secundum fidei analogiam me Theologiam reuelatam tradidisse, dum methodo tradidi scientifica (§. 8. et Spec. I. §. 15.), meo mihi iure vindico.

XIII.

*Responsio ad
obtrectatio-
nem dupli-
cem.*

Tanta obtrectationum euomendarum in Dn. Clugio lubido est, vt contra me disputans, nec Virum perill. de Wolff, qui tamen circulos ipsius, quantum euidem scio, nunquam turbauit, intactum possit relinquere. Ita enim aduersus vtrumquel. c. p. 118: *Hac methodus (qua Dn. Wolfius in philosophia vsus est) non in apta quadam rerum homogenearum dispositione, sed in mera confusione, consitit, qua scilicet non solum fines disciplinarum miserum in modum disturbantur, sed etiam omne id, quod proponitur, ad sustinendas exornandasque fictiones Leibnitii, consilio non adeo laudabili, accommodatur.* Hinc qui Dn. Wolfium philosophantem sequitur, nubem pro Diana amplectitur, pro thesauro carbones. Hac itaque methodo dum Theologia Carponiana composita est, fieri non potest, quin omnia in illa singularia sint, et fuso magis pigmentisque obliterata, quam solida quadam ratione demonstrata. Quo igitur argumento vtraque haec obtrectatio firmata est? Nullo. Dixit Dn. Clugius, Theologia atque ecclesiae doctor. Hic calumniari, obtrectare, cauillari, fugillare, sycophantari integrum sibi putat esse, octaui praecepti diuini aut immemor, aut contemptor. Taceo, quæ responderi possent, alia, quia manifestam obtrectationem repellere, non opus est.

XIV.

*An in Theo-
logia nec de-
monstratio apri-
ori, nec a
posteriori?*

Eiusdem putidi est furfuri, cum Dn. Clugius, *demonstratio-*
nis, que a priori dicitur, non satis me gnarum esse, crepans, suam
denuo ignorantiam prodit. Ita enim ille l. c. p. 118: *Deinde et alios fal-
lit, et ipse fallitur, Dn. Carponius, dum, ea via, quam ipse ingressus*
*est, demonstrationem, que dicitur a priori, obtineri posse, temere cre-
dit.* In Theologia non datur demonstratio, propriæ sic dictæ, nec quæ
a priori est, nec quæ a posteriori. *Hic omnia in auctoritate Dei re-
uelantis innituntur, minime autem, que in Theologia reuelata tradi-
solent, et vere theologica sunt, et auctiss suis, vel effectis, cognosci vel
demonstrari possunt.* Sed Dn. Carponius, si lectorem subinde ad ea,
que antea dictæ sunt, remittat, vel si ex iis, quæ priori loco posta
sunt, argumentum petat, veritates theologicas a priori se demonstra-
sse, arbitratus, efficit, ut satis tuto existimare possimus, eum demon-
stra-

strationis, quæ a priori dicitur, non satis gnarum esse. Non enim illud tantum a priori demonstrari dicitur, in quo a causa ad effectum concluditur, sed etiam in quo ab illo, quod vicem causæ sustinet, ad illud, quod vicem effectus. Quod cum ignoret Dn. Clugius, discere poterit ex Jungii Log. Hamburgensi, scribentis l. 4. e. 14. §. 3: Demonstratio a priori est, quæ a causis, aut quasi causis procedit, hoc est, cuius sumptiones continent id, quod velut causa se habet ad affectionem, quæ de subiecto suo demonstratur. Quid autem sit quasi causa, hoc explicatum dedit Horneius in Disputat. Logic. Disput. 8. §. 69. p. 227. sic fatus: Dupliciter efficiens (causa in demonstratione a priori) accipi potest, aliter proprie pro ea, quæ est extra rem suæ subiectum, in quo est effectio, et hæc plerumque agit ita, ut reputatur. Sic ignis efficiens est unctionis, quæ non est in igne, sed in aliquo, quod extra ignem est. Aliter improprie, quando agit per emanationem, et ita, ut effectus in eodem subiecto sit, in quo est efficiens, sicut formæ sunt efficientes omnium accidentium, quæ formarum propria sunt, et materia est quantitatis efficiens; et §. 70: Vtroque modo efficiens est medium demonstrationis (a priori). Cum igitur definitio ad fluentem inde rei adfectionem se habeat, quasi causa ad effectum, a priori demonstrata dicenda sunt adfectiones rei, quæ e definitione demonstrantur. Ita e. g. nemo unquam dubitauit, in Geometria æqualitatem omnium angulorum in triangulo æquilatero demonstrari a priori, si quando demonstratur e definitione trianguli æquilateri. Eodem igitur sensu cum in theologia reuelata ex definitione, secundum vnum loquendi biblicum formata, adfectiones rei demonstrantur, a priori illa demonstrata censenda sunt; cuius exempla bene multa sistema meum theologicum suppeditat. Atque generatim, dum veritatum theologicarum nexus est (Spec. I. f. 10.), tam ab eo, quod ordine est prius, ad id, quod posterius, quam ab eo, quod ordine posterius, ad id, quod prius, concludi potest; ex quo adpareat, tam demonstrationes a priori, quam a posteriori, pro re nata in theologia reuelata locum habere. Quod si dubium adhuc videatur Dn. Clugio, legat verba sua l.c. p. 141. 142: In Theologicis, et dogmatibus, eternam salutem concernentibus, perinde, atque in aliis disciplinis, ex uno ad aliud progredimur, et vnum ex alio deducimus et probamus. Sed in aliis disciplinis vnum ex alio deducimus et probamus per demonstrationem vel apagogicam, vel ostensiuam, et per ostensiuam vel a priori, vel a posteriori. Ergo in Theologia etiam eadem demonstrandi genera, et speciatim demonstratio

An auctor
habeat cita-
tiones pro-
demonstra-
tionibus a-
priori?

An Theolo-
gia reuelata
est trada-
re et ob-
tricandum?

ostenstia a priori locum habent. Neque hic impedimento est, quod in theologia reuelata omnia in auctoritate Dei reuelantis innitantur. Ex auctoritate Dei reuelantis enim, propositionem reuelatam veram esse, constat quidem; sed haud quamquam diuina auctoritas argumenta veritatis, sive a priori, sive a posteriori, sive ab impossibili ducenda, tollit, quia alias nec scriptores sacri, nec ipse Christus rationes doctrinarum allegare, et, ex illis has confirmare debuissent; quod tamen abunde facilius est. De cetero Dn. Clugius oscitans hallucinatus est, dum sibi persuadet, me, veritates theologicas a priori me demonstrasse, arbitriari, si lectorem subinde ad ea, que ante dicta sunt, remittam, aut si ex iis, que priori loco posita sunt, argumentum petam. Vnde enim, me istud arbitriari, nouit? Sane prouocationes ad ante demonstrata in demonstrationibus apagogicis & que ac ostensius, iisque tam a priori, quam a posteriori, adhiberi posse, neminem facile vel mediocriter Logica peritum fugiet. Quocirca obtestationis fundamentum nullum est.

XV.

Ad utilitates, ex applicatione methodi scientificæ ad Theologiam reuelatam exspectandas, inter cetera hanc retuli, quod eadem obstruantur aut querelæ, aut cauillationes eorum, qui nullum in theologicis methodo nexus veritatum dari, perhibent (Theol. Reu. T. I. præf. §. 32. scientifica ad 33. et Spec. I. §. 15.). Qua de causa, huius quoque ratione habita, non improbandum esse conatum meum, scientifica methodo indutam theologiam reuelatam tradendi, arbitratus sum. Neque hoc Dn. Clugius pro carpendi lubidine intactum relinquere potuit. Sribit enim inter cetera l. c. p. 119: Nec ipsa methodo, qualiscunque tandem illa sit, aduersarios munitimentis suis deticies, nec, ut reverentius de Theologia sacratissima sentiant, compelles. Id quod falso dicitur. Nam nexus veritatum religionis reali ostendo, iisque ex indubiosis principiis deriuatis, omnino aduersarii munitimentis suis deficiuntur, vt iniuriam se intulisse Theologia sacratissimæ, agnoscere debeant. Sunt quidem, ut porro friuole opponitur, arma militie nostræ, non carnalia illa quidem, sed doxata τῷ Θεῷ, πρὸς ναζαρέτων ἐχεωμένων, potentia Deo ad destructionem munitionum 2. Cor. X. 4. At vero demonstrationes dogmatum theologicorum, ex fidei analogia rite ductas, de quibus hic loci sermo est, esse arma carnalia ad earum destructionem, hoc nemo sanæ mentis vñquam somniare poterit. Deinde cum pergit Dn. Clugius l. c. Quod autem ad homines ipsos attinet, quorū vel querelis vel cauillationibus, Dn. Carpofitus stimula, ad Theogiam noua

mc-

methodo tradendam, se accinxit, ego quidem, eos, si ex ignorantia errant, erudiendos, si ex malitia, contemnendos esse, censco, idque ex ipsa voluntate Salvatoris, ad discipulos prouuntiantis: Sinite illos, caeci sunt et duces eorum Matth. XV. 14, his verbis contra se ipsum pugnat. Quamuis enim, ex malitia Theologix detrahentes sibi relinquentdos esse, non negem, tamen, si ex ignorantia errantes erudiendi sunt dicas, quxlo, quomodo sic erudiendi sint, vt Theologiam reuelatam legitime connexum sistema veritatum esse, intelligent? Non habebis rectio rem, non expeditiorem eos erudiendi viam, quam vt Theologiam reuelatam sic, prout vna veritas ex altera fuit, initio facto a principiis cognoscendi iudubiis, proponas; quo ipso id sit, quod a me factum est. Talia igitur cum sint, quæ opponuntur, reliquis, responsione indignis, loco responsionis oppono verba Clugiana l.c.p. 123: *Et quis nostrum eam vivendo et docendo inire potest rationem, vt imperitorum quoque et cauillatorum iudicis vel desideris omni ex parte faciat sati?* Ipse Christus ab imperitorum et cauillantium vel offensis, vel sinistris iudicis, praecavere sibi non potuit, quippe Pharisei, auditio verbo eius, scandalizati sunt. Matth. XV. 12. Marc. VI. 3. Allegatum hoc enim Christi exemplum docet, offensionem obtrectatorum in re bona curandam non esse. Hactenus hæc, ad primam sententiam Clugianam (Spec. I. §. 18.) explodendam pertinentia.

XVI.

Sequitur iam, vt ad alteram sententiam Clugianam mihi oppositam, quæ hæc est: *singularis est ordo, quem Dn. Carpouius in locis ad extheologicis, inter se coagmentandis, tenet* (Singul. P. 2. p. 121.), proprobrogrediatur. In qua vero breviori mihi esse, ipsa rei inde atque ingenio nem de non sic permittere, licebit. Scilicet cum non omnes theologi unum eundemque doctrinarum locorumue ordinem, fatente Dn. Clugio, in ordine do theologia reuelata proponenda sequantur, idque iure suo, quia ordo doctrinarum alias atque alias, saluis doctrinis, esse potest: ego quoque mihi licitum, putau, esse, ab ordine doctrinarum, qui aliis placuit, ex parte recedere, et in systemate meo tales eligere ordinem, qualis alii ex aliis deriuandis doctrinis conuenientissimum esse, intelligebam. Neque vero hic loci opus est, aut ordinem doctrinarum enarrare, aut rationes copulationis et quasi coagmentationis reddere, quia priorem docet ipsa systematis, ad finem fere perduci, inspectio, posterioris autem rationes locis debitissimis indicatae fuerunt. Sed in eo, quem seruau, doctrinarum ordine conuellendo totus iam est Dn. Clugius, omnem

omnem curam, cogitationem, industriam, studium denique omne in hoc figens, ut illi aut ratiunculas qualescunque, aut obtestationes opponat. De his vero copiose disputare, an opera pretium est? Audiat Dn. Clugius se ipsum, sententiam pronuntiantem l.c.p. 130: *Non ipse nexus rerum theologicarum vel infringitur, vel tollitur, licet Theologia in una alteraque Theologia parte alium atque alium ordinem sequatur.* Hic sane ingenio et arbitrio humano aliquid relinquendum, et, si ipsum systema ita construas, ut nihil eorum, quæ scitu cognituque necessaria sunt, omittas, nihil a Theologia alienum recipias, et vbiique memoriae hominum consulere studeas, te officio satis bene perfundetur esse, aqui rerum arbitri facile concedent. Quod veluti vitiliter accipio, vere dictum: ita subsumo: Ego systema theologicum ita construxi, ut nihil eorum, quæ scitu cognituque necessaria sunt, omiserim, nihil a theologia alienum receperim, et vbiique memoriae hominum consulere studuerim. Nam primo omisisse me quidquam, scitu cognituque necessarium, Dn. Clugius nusquam probauit, nec probare potuit, eo tempore auctor litis existens, quo solus primus systematis mei Tomus in manus hominum datus fuerat. Deinde licet passim definitiones philosophicas et principia rationis recte in theologiam receperim, non tamen recepi, ut aliena a Theologia, sed ad argumentationes theologicas perfectas faciendas; quo sine recte in theologia reuelata adhiberi principia rationis recte, Dn. Clugius concessit et docuit (§. 12.). Denique vbiique memoriae hominum consulere me studuisse, docet tota mea tractatio systematica, siquidem, vbi unum ex altero deriuatur, ibi non rationi tantum, sed etiam memoriae hominum simul consuluitur. Nam adsociatio idearum ibidem adest, quæ est memoriae adminiculum præcipuum. Itaque ipso Dn. Clugio iudice, sequitur, ut, in systemate theologico construendo me officio satis bene perfundetur esse, aqui rerum arbitri facile concessuri sint. Quare, se ipso iudice, aquum rerum arbitrum se non esse, fateatur, cum bene me officio fundetur esse in Theologia reuelata tradenda, positis licet conditionibus, iniciatur. Quid refert autem, cum viro confliktari, qui inique se agere, sponte profiteatur? Sed ecce! quam in ordine doctrinarum theologicarum constitudo libertatem Dn. Clugius alias concedit, hanc mihi ereptam vult. Ita enim is l.c.p. 131: *Quamuis quod ad ordinem attinet, nemini facile molestus sim, suam potius cuius libertatem haud iniurii relinquam, tamen, cum de ordine suo gloriatur Dn. Carponius, et, quem reliqui delegerunt, ordinem contemnat, non iniquum esse, iudico, si, quid in ordine Carponiano vel laudandum vel vituperandum sit,*

can-

candidē exponam. Vbi vero ista gloriatio? Vbi contemptus ordinis aliorum? In eo, quod scriperim, in plerisque aliām plane doctrinarum seriem, quam systemata aliorum seruare solent, in meo deprehendi (præf. T. I. §. 9.)? Declaratio dissensus hoc est, fateor, quoad seriem doctrinarum; illam vero qui a gloriatione et contemptu aliorum distinguere nequit, quid cum illo disputationem? Saluum igitur cum maneat, Dn. Clugium, se ipso iudice, iniquum censorem ordinis doctrinarum in systemate meo agere, proprio iudicio is me respondendi onere leuauit. Habeat sibi κενοφωνία suas, responsionesque, si placet, querat, vbi in systemate meo rationes ordinis doctrinarum data sunt; in quibus si adquietere recusat, repono iterum verba ipsius l. c. p. 123: *Quis nostrum eam viuendo et docendo inire potest rationem, ut imperitorum quoque et cauillatorum iudiciis vel desideriis omni ex parte faciat satis?* Ut libet rebus, quam contentionibus de ordine doctrinarum, qui Dn. Clugio ad palatum non est, aut de aliis similibus, ad augmentum veritatis nil facientibus, sed ad obtrectandum tantum confitit et coagamentatis, tempus potest impendi.

XVII.

Atque vt libere veritatem profitear, erumpens animo lætitia,
diutius me iam disceptationi immorari, non finit. Illucescent enim, Ci-
ues, illucescent, inquam, cras auspicato genethlia nitidissima

Natalis Serenissimi Principis.

SERENISSIMI EXCELSISSIMI IVVENTVTIS PRINCIPIS

ERNESTI AVGVSTI CONSTANTINI,

DVCIS SAXONIÆ IVLIACI CLIVIÆ MONTIVM
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ

LANDGRAFII THVRINGIÆ MARCHIONIS MISNIÆ COMITIS PRIN-
CIPALI DIGNITATE HENNEBERGIAÆ COMITIS MARCÆ ET

RAVENSBURGÆ DYNASTÆ RAVENSTEINII REL.
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI ACADEMIÆ SALANÆ
PRINCIPIS ET DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,
quæ eo religiosius obire, fas est, quo locupletiorem gaudendi materi-
am nobis præbent. Videmus enim, PRINCIPEM SERENISSIMVM, PA-

TRIÆ PATREM futurum, non tantum habitu corporis membrorumque, nec non viribus excelsæ mentis, cuius identidem nobis narrata specimina miramur, crescere indies, sed etiam, septimo et decimo natum superato, ad eum semper proprius ætatis terminum accedere, quæ moli regiminis suscipienda fortiter, et sustinenda prudenter feliciterque sufficiat. At vero cum non forte tantum prudentemque, sed etiam religionis amantem principem salus publica expositulet, fieri non potuit, quin summa cum voluptate narratam acceperimus, atque in perennem rei memoriam litteris publice mandatam legerimus fidei professionem*), quam idem OPTIMVS PRINCEPS coram SERENISSIMO TVTORE AVLAQUE vniuersa fulgentissima, non sine audientium lacrimis, sic edidit, vt instructissimus prima vice ad epulum sacrum accesserit. In quibus quidem actibus sacris præcipue temporis ratio bonorum omnium plenissima mihi esse videtur. Etenim qua die dominica Iesus puer, subiectus parentibus, ætate, sapientia gratiaque eorum Deo atque hominibus profecisse, sapientiaque insitæ specimen in confessu doctorum prodiisse fertur, duce Scriptura, in ecclesia, eadem noster IVVENTVTIS PRINCEPS, cælitus dati Pueri imitator, sub auspiciis, cura atque oculis PRINCIPIS SERENISSIMI, PARENTIS vicem gerentis, fidei confessionem edidit publice, quantum profecerit rerum diuinarum sapientia, manifestans. Et pariter quo die dominico nuptiæ Canenses contemplandæ proponebantur cœtui sacro, eodem prima vice ad coenam Domini accedebat PRINCEPS OPTIMVS, vt despunctionis intimæ cum Seruatore, in cuius amore vera hominis felicitas et salus sita est, admoneretur. Gaudete igitur, Ciues, de omnium prosperitate, quam prouidentia diuina ostendit! Plaudite PRINCIPI, natalem iterum obeunti, de ætatis, corporis, sapientia incremento! Sed plaudite etiam vobis de salutis futuræ spe lata; quæ vt rata sit, Numen supremum precibus impensis fatigare! Ego vero, in societatem vestram transiens, communii Gymnasi nomine votis, quæ pietas nuncupari iubet, Deum immortalem oro et obtestor, vt veluti SERENISSIMVM IVVENTVTIS PRINCIPEM, vtroque PARENTE orbum, iam dum in tutelam recepit, ita porro illum nepotibus nostris atque pronepotibus seruet, vt corpus eius nouo robore, mentem sapientiæ incremento, voluntatem vero vniuerso virtutum choro, sed maxime iis, quæ prin-

*Votum pro
salute eius.*

*) Vide Viri pl. Reuerendi, Bernh. Seb. Grossii Befestigung des Herzeng in der Glaubens Wahrheit und Beweisung des Glaubens in guten Werken, u.s.w.

principali conueniunt fastigio, impletat, vt denique ad arduum imperandi munus recte formatum firmatumque, successorem pium, felicem, diuturnum mox tribuat ei, qui genuit; quo facto, exteris nostram felicitatem, nobis vero diuinam benignitatem laudandi occasio dabitur amplissima.

XVIII.

Absit autem, Musas nostras in hac solemnitate communique omnium acclamatione quiescere! Quin potius undecim Iuuenes bonae notæ, clamantium,

- I. IOH. GEORGIVS VOIGT
Hammerstadiensis,
II. FRIDERICVS ANDREAS GÆRTNER
Vinariensis,
III. HENRICVS FRIDERICVS NOELLER
Krackendorffio-Blanckenhaynensis,
IV. ERNESTVS SAMVEL CHRIST. RVDORFF
Buttelstadiensis,
V. IOH. ERNESTVS LVDECVS
Vinariensis,
VI. IOH. HENRICVS DANZ
Pfiffelbaco Vinariensis,
VII. FRIDERICVS GVILIELMVS DE ROTH
Eques Thuringus,
VIII. IOH. CHRISTIANVS HOYER
Vinariensis,
IX. HENR. CHRIST. GOTTLIEB SCHORCHT
Sulza Montanus,
X. CAROLVS CHRISTIANVS HOEFER
Willerstadio Vinariensis,
XI. IOH. GVILIELM. LVDOV. EYLENSTEIN
Vinariensis,

publice declamando, vires suas periclitari, eoque ipso diem auspiciassimum concelebrare religione debita, gestiunt. Quod ut debito ordine fiat, auctor fui

PRIMO, vt ratione habita verborum Horatii lib. I. ep. 5. v. 9. 10:

*Cras, nato Cæsare, festus
Dat veniam somnumque dies,
de feriis natalitiis*

dicens Latine, eadem opera officio piax acclamationis fungatur, votaque pro salute PRINCIPIS, PATRIS PATRIÆ futuri, nuncupet ardentissima. Sequentes deinde oratores, ad ea, quæ proximo tempore passim contigerunt, respicientes, verba facturi sunt,

TERTIVS de laudabili abrogatione dierum festorum nimiorum in ecclesia Romano-Pontifica Latine,

QVARTVS de fatis insula Corsicae carmine Latino,

QVINTVS de terra motibus Latine,

SEXTVS de montibus ardentibus sermone Græco,

SEPTIMVS de Herculaneo, oppido Campaniae perditæ olim, et recentius inuenito, carmine Teutonico,

OCTAVVS de denegatione sacrae canæ, que passim fit in Gallia, iuride iniusta, Latine,

NONVS de irrita pacificatione Gallorum in insula Corsica pariter Latine. Sed post hanc rerum recentium commemorationem

SECUNDVS, DECIMVS et UNDECIMVS colloquium philosophicum de re antiquissima, puta de origine mundi, metro Germanico instituent ita,

vt iste ex Epicurei, ille ex Platonico-Aristotelici, hic ex Christiani philosophi sententia disputet.

XIX.

In uitatio.

Adeste igitur, SVMORVM COLLEGIORVM CAPITA et MEMBRA EMINENTISSIMA! Adeste, VIRI OPTIMATES, MÆCENATES, LVMINA ORDINIS VTRIVSQUE! Adeste etiam, quotquot Musarum studiis atque Gymnasio nostro fauetis! Ipsi die natali veniam Vobis ab occupationibus ordinariis concedente, vt cras hora octaua matutina in Ill. Gymnasi auditorio maiori frequentes congregemini, nec tantum audiendi operam oratoribus nostris detis, sed simul, vota Vestra cum nostris coniungendo, pietatem

Vestram in SERENISSIMVM PRINCIPEM, spem
salutis futuræ vnicam, significetis, oro atque
obtestor.

DABAM VINARIE CALENDIS IVNII MDCCCLIII.

99 A 6909

ULB Halle
003 931 315

3



Slo

VD 17

Reho

Fl. 69.



COMMENTATIONIS
DE ADPLICATIONE METHODI SCIENTIFICÆ
A D

THEOLOGIAM REVELATAM
SPECIMEN TERTIVM

DIVVLGATVM

M. IACOBÓ CARPOVIO

ILL. GYMNASII VINAR. DIRECTORE MATHEM. P. P.
REGIÆ BORVSS. ACADEMIÆ SCIENTIARVM ET LITTERARVM ELEGANTIORVM MEMBRO.



I E N A E,
SVMPTIBVS IOH. ADAMI MELCHIORIS VIDVÆ.

1753. C

